



1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20. 21. 22. 23. 24. 25. 26. 27. 28. 29. 30. 31. 32. 33. 34. 35. 36. 37. 38. 39. 40. 41. 42. 43. 44. 45. 46. 47. 48. 49. 50. 51. 52. 53. 54. 55. 56. 57. 58. 59. 60. 61. 62. 63. 64. 65. 66. 67. 68. 69. 70. 71. 72. 73. 74. 75. 76. 77. 78. 79. 80. 81. 82. 83. 84. 85. 86. 87. 88. 89. 90. 91. 92. 93. 94. 95. 96. 97. 98. 99. 100.

B

FACVLTATIS JVRIDICÆ
IN ALMA AC PERANTIQVA VNIVERSI-
TATE ERFORDIENSI
DECANVS,
JOH. HENRICUS
S. Seier, JC TVS,
ELECTORAL. REGIMIN. CONSILIA. DECRE-
TAL. PROF. PVBL. VNIVERSIT. SENIOR,
NEC NON JVDIC. PROVINC.
ASSESS. PRIMAR.

LECTORI BENEVOLO
S. & O.

ERFORDIÆ,
TYPIS GROSCHIANIS, ACAD. TYPOGR.



27 VIENNA HOF



Vàm intersit Reipubl. obser-
vari à subditis modum & di-
stinctionem in vestimentis,
Deus ter Optim. Max. ipse
promulgare voluit *Deut.* 22.
vñ. s. severè prohibens: ne
mulier vestem virilem, nec vir imuliebrem in-
duat tanquam sibi abominabile. Quod &
ejus Vicarii nonnunquam probè observarunt;
etenim, ut monstretur saltim quid hoc casu in
nostra Germania & ante in Romanâ de hac re
frugaliter fuerit sanctum, quasi ab ovo rem
odimur: namque à primordio Romanis pla-
cuit: habitu atque vestitu dignitates invicem di-
stin-

stinguere; ordinarunt ideo prætextas vestes in
quintuplici differentiâ, nimirum Regales; Augu-
rales, Consulares, Equestres & eorum, qui sunt
majores 14. annorum, Prætextati à vestimenti
genere dicti l. 3. §. fin ff. de liber. exhib. Et du-
cend. Senatoribus debatur latus clavus *Lampr.*
Alexand. Trapea Præfectis, præprimis Prætorio
competebat, *Ammian. Marc. lib. 26.* Paluda-
mentum proprium erat Rom. Consulum, *Liv.*
lib. 3. dec. 5. nec non eorum, qui Consulum vice
provincias sortiebantur; Toga Magistratibus
erat prætexta; Penula communis omnium. Ale-
xander Severus Cæsar sibi animo proponebat,
omnibus officiis atque dignitatibus assignare
vestium genus proprium, quò vestitu digno-
scerentur, *Lampr. in Alex.* Gratian. Valentin.
& Theodosius statuerunt: ne Senatores manè
chlamidem ferrent, sed togati federent potissi-
mum in Consilio potentissimo; Officiales au-
tem essent penulati cuim interiore togâ cincti;
Servi non nisi burris & cucullis uterentur, *l. de*
habit. quo uti oport. in Urb. lib. 14. Cod. Theod.
tit. 10. Ast Aurelianus & Gordianus, Imperii
socii fastus opprimendi causâ, vestes auro texe-
re, suis interdixerunt civibus, quò parsimoniae

assuescerent, nec temerè aliàs boni & frugales patresfamil. tali vestium luxu tandem necessariis carere cogerentur. Propterea non sine causa Juris nostri Autores sumptus vestium retulerunt inter matrimonii onera, quæ maritus subire debet; quibus, hac ætate, ut plurimum dotis fructus non respondent adæquati, ut nec mariti patrimonium quandoque sufficiat. Quam ob rem satis laudari non possunt & nostri Majores, Legum Conditores, qui huic malo mederi laudabili studio annisi fuerunt in Comitiis Augustæ Videlicor. sub Impp. optimæ memoriae Caroli V. & Maximiliani, anno 1545. ar. 9. 10. 11. (utinam renovarentur) celebratis. Occasione *Legis 42. ff. de donation. int. virum & uxor.* quæ præmissa sunt pro ejus evidentiore intellectu, addendum saltem, verba: *Lat. clavi:* denotare vestimenti speciem singularem, quâ ostenditur ornamentum & insigne Senatorii Ordinis, *Plin. lib. 2. Epistol. 9. Horat. lib. 1. Satyr. 6. & Barn. Brisson. Antiq. Roman. lib. 3.* ad istam cit *L. 42. ff.* plura alia huc, ad interpretationem ejusdem spectantia publicè declaraturus est

NO-

NOBILIS ET CLARISSIMVS
**DN. JOH. CHRISTOPHORVS
KIBELIUS,**

qui natus est Grosschoenaviæ prope Zittaviam
Anno M DC XCIX. d. 8. April. Patre Viro ad-
modum Reverendo M. JOHANNE CHRISTIANO
KIBELIO, Pastore ejusdem loci, nunc emerito;
Matre ROSINA ELISABETHA, filiâ VOGELII, Re-
ctoris quondam in Gymnasio Zittaviensi cele-
berrimi. Primis fidei, morum & eruditionis
fundamentis per domesticam institutionem ja-
ctis, Zittaviam Ao. M DCC VI. missus, KNEBE-
LII, atque RÜCKERI, præceptorum Gymnasii Zit-
taviensis fidelissimorum informatione usus est,
donec sub rectoratu Viri, nunquam post fata
satis laudandi, Dn. CHRISTIANI WEISH, in tertia
Gymnasii classe locum adeptus fuerit. Quo
facto, per studii Scholaſtici cursum ductores
nactus est Dnn. M. MICHAELEM ZIEGERVM,
Cantorem; Mag. CHRISTIANVM GOTTLLOB
PITSCHMANNVM, Sub-Rectorem; nunc verò
Catechetam vigilantissimum; Mag. ADAMVM
ERDMANNVM MIRVM, Correctorem meritissi-
mum, M. GODOFREDVM HOFFMANNUM & D.

X 3

JO-

JOHANNEM CHRISTOPHORVM WENZELIVM, Re-
ctores olim celeberrimos. Anno demum
M DCC XX. Gymnasii cancellis egressus ad
Academiam Lipsiensem profectus est, ibique,
præviis institutionibus Dnn. MÜLLERI, J. V. D;
& Philosophi in laudata Academia celeberrimi,
philosophiæ; Dnn. VSLEBERI, KÆSTNERI,
SCHVBERTI, RECHENBERGII, RIVINI, Juri Civili;
famigeratissimi JCti MENCKENII Juri Canonicō;
ast WEIDLINGII Juri Feudali studium atque ope-
ram suam consecravit. Tandem oblata ipsi occa-
sione admodum commoda, quicquid ex theo-
reticis studiis hauserat, ad praxin applicavit; Vir
enim Prænobilis atque Consultissimus Dn. JO-
HANNES AVGVSTINVS GEORGIVS, Consiliarius Du-
cis Saxo-Mersburgensis atque negotiorum Sta-
tuum Marchionatus Lusatiae inferioris Director,
quem compellant Landes-Bestallter / tam be-
nevole se ipsi præbuit, ut eum, domi suæ rece-
ptum, ad praxin felici successu instituendam
confiliis singulariter juvaret. Eodem provi-
dente quoque postmodum factum, quod an-
no M DCC XXIV. Mens. Jun. prævio examine
ac juramento præstito, in numerum Advocato-
rum Lübenæ receptus, & simul, omnibus ritè

per-

peractis , in ipsa Notarii dignitate & officio,
eidem Lipsiæ à Magnifico WEIDLINGIO , Com.
Palat. &c. antè collato denuò confirmatus est.
Cùm verò per anni spatum & quod exurrit,
jus ad factum applicare sedulò operam dedisset,
multisque beneficiis per totum illud tempus à
viro, antè laudato affectus fuisset, quorum nun-
quam obliviscetur gratâ mente illa perpetuò
recolens ; patris sui dilectissimi hortatu , anno
M DCC XXV. Mens. Sept. domum reversus est,
eodemque anno, edito specimine & præstito
juramento Budislæ, officium atque privilegia
Advocati ordinarii impetravit. Demum indu-
xit animum , ambire Juris honores eumque in
finem se ad Nos convertit atque oblatis literis,
rogavit, ut ipsi panderetur Examen ; annuit
quoque Facultas & ipsi mandavit textus notabi-
les ritè declarandos ; promptè est ipse obsecutus
& exegesin probè super iisdem elaboratam edi-
dit, nec non ad propositas quæstiones compe-
tenter respondit, ut tandem albos lapillos suffra-
giorum à Collegio nostro impetrarit, atque Can-
didato permitteretur ordinandi cursoriam Le-
ctionem super *L. 42. ff. de donat. inter vir. & uxor.* itemque Inauguralem Disputationem, DE

AVFF-

AVFFGABA ZITTAVIENSI. Hisce publicis actibus
expediendis præfinitus est dies 29. Maji, an. cur.
Si igitur placuisset Magnifico atque Reveren-
diss. Dn. Universitatis Rectori, ac Proceribus
eiusdem splendidissimis, nec non Jurispruden-
tiæ nobil. Cultoribus præstò esse, hisce invitam-
tur ad Auditorium Jurid. Collegii major. ho-
ris consuetis, submissè & officiosissimè. Publ.
Erfurti sub Sigillo Facult. Jurid. 26. dict. men-
sis, Anno M DCC XXVI.



